



Cvrsvs Philosophicvs

Arriaga, Rodrigo de

Antverpiæ, 1632

Dispytatio XVII. Vtrùm aliqua creatura fuerit vel potuerit esse ab æterno.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95614](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95614)

LIBER VII. PHYSICORVM.

493

In hoc libro egit Aristoteles de propinquitate inter causam & effectum, de quo nos latè Disputatione VII. Sectione 5.

LIBER VIII. PHYSICORVM.

In hoc libro contendit Aristoteles, dandam vnā primam causam omnium rerum, quā sit Deus: sed de hoc alibi, vbi etiam agemus de eo principio, quod probatur ab Aristotele, scilicet *omne quod mouetur, ab alio mouetur*: item agit de exordio mundi, quem contendit fuisse ab æterno, & qui-

dem satis consequenter ad sua principia, scilicet Deum operari ex necessitate naturæ; sed de hoc Disputatione sequenti agemus. Video, à P. Hurtado adscribi Aristoteli opinionem negantem Deum omnia creasse, sed in hoc puncto non sum de Aristotelis mente adeò sollicitus, vbi contra Fidem turpiter errauit.

DISPUTATIO DECIMASEPTIMA.

Virum aliqua creatura fuerit vel potuerit esse ab æterno.

SECTIO I.

Mundus non fuit ab æterno, neque esse potuit.

Non fuisse, est de Fide, ex illo Genes. 1. *In principio creauit Deus caelum & terram*; ergo caelum & terra habere principium. De Angelis non fit mentio in hoc loco, probatur tamen ex illo Prouerb. 8. *Antequam quidquam faceret à principio, cum eo eram cuncta componens*, ergo fuit instans aliquod in quo nondum Deus quidquam produxerat, ergo & Angeli in tempore sunt producti. Eadem veritas definita est in cap. Firmiter, de summā Trinitate & fide Catholica, vbi docetur, esse vnum Deum, qui vtramque ab initio de nihilo creauit creaturam, Angelicam & mundanam. Consentiant huic veritati omnes Ecclesiae Patres, & Catholici omnes. Argumenta pro Aristotele nulla sunt, quia cum Deus operetur liberè, etiam si potuerit (de quo statim) non tamen tenebatur producere, nec vlla potest esse ratio naturalis quā vel apparetur possit probari, debuisse esse ab æterno.

2. De possibili est grauis difficultas, virum scilicet potuerit mundus esse ab æterno, ita vt non fuerit Deus prior illo. Sed in hac questione oportet in ipso mundo duo genera eorum distinguere, vnum *permanens*, de quo Sectione 2. aliud *successiuum*, vel quæ per generationes in specie se multiplicant, & de his agemus in hac Sectione.

Huius successionis possibilitatem ab æterno D. Thomas affirmat apud Hurtadum Disput. 18. sect. 2. negant multi ex antiquioribus & recentioribus, quos idem Hurtadus sequitur & refert §. 35. Nos duabus Conclusionibus rem totam decidemus.

Sit PRIMA. Non potuerunt esse ab æterno generationes substantiales v. g. hominum, leonum, &c. Probatur clarè, quia in serie eorum hominum v. g. tandem est deueniendum ad aliquem qui à solo Deo productus sit, quia non om-

nes illi homines à seipsis producuntur, est ergo aliquis qui à solo Deo productus. Vel ergo inter productionem illius à Deo, & inter generationem alterius hominis ab illo factam, intercessit infinitum tempus, vel finitum. Si infinitum, ergo iam generatio illa non fuit ab æterno, vt contendit: si verò finitum, ergo nec primus homo à Deo solo productus, nec secunda generatio, fuerunt ab æterno: non quidem secunda, quia ante illam præcessit alius homo; non quidem primus homo, quia ab hoc ad secundum solum fuit finitum tempus; & secundus non fuit nisi in tempore, ab æternitate autem ad tempus necessariò debet interuenire infinitum tempus, ergo ab æterno non potuerunt esse generationes substantiales.

Respondebis, hominem illum productum à Deo generasse alterum in primo instanti suæ productionis, vnde etiam illa generatio illius secundi hominis fuit ab æterno. Sed faciliè hoc possumus occludo, quia generatio hominis non potest fieri in instanti, fit enim per emissionem seminis, per formationem fœtus, &c. quæ non potest esse in instanti. Contra Secundò, do tibi Antecedens, rogo, an ille secundus homo generauerit tertium in eodem instanti, an non. Si in eodem instanti, ergo illæ generationes non fuerunt successiuæ in æternitate, quod nos contendimus, sed ab æterno omnes simul (virum autem repugnet hoc modo generationes ab æterno, dicitur Sectione 2.) Si verò dicas, ab eo secundo non generatum tertium in eodem instanti, sed posterius, rogo vltimè, an post tempus infinitum, an finitum, & tunc redibit idem argumentum suprà factum de primo homine respectu secundi, ergo non possunt esse ab æterno generationes substantiales successiuæ.

SECUNDA CONCLUSIO. Generationes accidentales successiuæ, quæ non sint æquales in duratione substantiæ ipsi à quâ oriuntur, non possunt esse ab æterno. Probatur ob eandem rationem ob quam nuper ostendi non potuisse esse ab æterno generationes substantiales, quia inter productionem primi principij à quo oriuntur, & inter primam generationem debuit interuenire tempus, & consequenter non potuit gener-

Tr

generatio esse ab aeterno. Et ratio à priori est, quia repugnantia ea non oritur ex conceptu accidentis, sed ex interpositione inter unam & alteram generationem, quæ eadem esset in eis accidentalibus. Si autem hæ generationes accidentales omnes immediate ab eadem substantiâ producantur, nec requiratur substantia tempore præire ad operationem, tunc erit eadem difficultas de illis ac de permanentibus, de quibus Sectione 2.

Denique si generationes illæ accidentales una oriatur immediate à substantiâ, reliquæ ab ipsis accidentibus (sicut communiter docetur contingere in luce respectu Solis, scilicet lucem Soli immediatam ab ipso Sole produci, mediatam autem produci ab ipsâ immediatâ, & sic de reliquis) si res hoc modo contingat, adhuc rursus distinguendum est. Vel enim hæ generationes accidentales successivæ sunt, & tunc non poterunt esse ab aeterno ob rationem dictam, quia inter productionem illius quæ à Sole tantum procedit, & inter secundam, debet intercedere tempus, vel finitum, & consequenter neutra erit ab aeterno; vel infinitum, & tunc non sunt continuæ ab aeterno generationes illæ accidentales. Vel omnes eodem puncto producuntur, & tunc est eadem difficultas cum permanentibus, de quâ statim.

SECTIO II.

Utrum creatura permanens potuerit esse ab aeterno.

LICET quæstio hæc facili apparcat nonnullis, lego tamen illam ferè æquè difficilem reputo ac compositionem continui: eius autem difficultas apparebit statim, si prius a priorum rationibus dubitandi faciamus satis.

SUBSECTIO PRIMA.

Fit satis argumentis, quibus probari solet, non potuisse esse creaturam ab aeterno.

PRIMUM fit: Quia illa creatura esset æqualis Deo in aternitate, quod repugnat. Sed hoc non urget, quia etiam probaretur, non posse Angelum durare in aeternum à parte post, ne Deo esset æqualis in aternitate, hoc autem est contra fidem. Respondeo ergo, illam creaturam longè abfuturam ab aternitate Dei, licet tamdiu duraret quamdiu Deus; id enim haberet creatura accidentaliter: item esset capax ut in tempore destrueretur, Deus autem à seipso essentialiter petit ab aeterno durare, & in aeternum sine capacitate destructionis.

Secundum fit: Quia omnis creatura debet produci ex nihilo, creatio enim est productio entis ex nihilo; ergo ante omnem creaturam debuit præcedere nihilum illius, & consequenter non potuit esse ab aeterno. Sed & huic facile respondeo, nō ex nihilo non significare idem ac ex carentiâ antecedenti sui, sed negari concursum subiecti, quod verum esset ab aeterno.

Tertium fit: Quia illa creatura necessariò, & sine libertate esset producta à Deo, quod implicat. Sequela probatur, quia non fuit instans ante illius productionem, in quo Deus potuisset esse

indifferens ad illam non producendam. Debile argumentum, quo etiam probatur, Deum ab aeterno non habuisse actus liberos de creaturis in tempore futuris, quandoquidem non præcessit instans in quo Deus non haberet eos actus, ergo non fuit liber ad eos habendos. Hæc est obiectio- nis consequentia. Respondeo igitur, prioritatem temporis non requiri ad libertatem, sed prioritatem naturæ; unde in eodem instanti in quo est actus liber, potuit non esse, quia ad hoc solum requiritur, ut quæ se tenent ex parte causæ, non habeant necessariam connexionem cum eo actu; & hinc fit, Angelum in primo instanti suæ creationis potuisse liberè operari: potuit ergo & Deus liberè producere creaturam, etiam si in tempore non extitisset ante illam.

Quartum: Quia si producta fuisset creatura ab aeterno, producta fuissent infinitæ durationes. Quod si etiam in qualibet productus fuisset unus Angelus, existerent modò infiniti Angeli, quod repugnat. Suprà ostendi, non repugnare infinitum in actu, ergo ex hac parte non repugnat, existere eos infinitos Angelos. Replicabis: Infinitum successivè non potest produci, ergo non possent illi Angeli esse infiniti. Aliunde verò supponis, eos esse infinitos. Ergo sequerentur duo contradictoria. Propter hanc rationem recentiores aliqui dicunt, etiam si ab aeterno singulis instantibus imaginariis novus Angelus fuisset productus, non exituros nunc infinitos Angelos, quia, ut dixi, infinitum successivè non potest pertransiri. Sed hæc responsio displicet: nam infinitum bene potest infinito tempore pertransiri, sicut ipsum tempus est infinitum, & tamen pertransit, & in terminis implicatur, dum ex una parte dicunt, si creatura fuisset ab aeterno eam debuisset per infinitum tempus manere in operatione quam primò habuit; & postea negant pertransisse infinita instantia temporis. quomodo enim manet in operatione per aternitatem seu infinitum tempus, si in eo tempore non sunt infinita instantia? Neque ad hoc requiritur, ut ea instantia sint realia, quia in ipsis imaginariis est eadem difficultas, quam si infinita instantia pertransierunt; ergo si in quolibet fuisset distinctus Angelus productus, essent producti iam infiniti. Respondeo ergo obiectioni, negando, infinitum non posse in infinito tempore percurrere successivè. Et in infinito durationis res est elarior: consistit enim in hoc, quod versus eam partem, quæ dicitur infinita non possit assignari terminus; id autem esset in eo casu, non enim esset primum instans, à quo inceperit ea duratio.

Quintum: Quia si Deus produxisset creaturam ab aeterno, non posset à Deo per aternitatem annihilari, quod videtur derogare dominio Dei. Sequela probatur, quia si post tempus finitum annihilaretur, cum ea annihilatio non fuisset ab aeterno, neque etiam fuisset ab aeterno productio, quia ab annihilatione ad productionem solum præcessisset tempus finitum. Respondeo, non repugnare dominio Dei, ex aliquâ suppositione si- bi liberâ non posse destruere creaturam. unde licet per aternitatem non posset eam annihilare, id non esset contra dominij eius perfectionem.

Sextum: Quia res quæ duravit ab aeterno, vel duravit per durationem indivisibilem, vel per plures distinctas successivas: neutro modo potest,

test, ergo absolute non potest durare ab aeterno. Consequencia est bona. Maior certa in sententia nostra, distinguente durationem à re durante. Minor probatur quoad primam partem de duratione indivisibili, quia illa duratio debuit deperdi in tempore quam primum potuit, & eius loco debuerunt produci durationes successivae. Rogo ergo, Cur in instanti antecedenti non fuit deperdita? siquidem etiam supposita duratione Petri v.g. pro aeternitate adhuc potuit non durare in instanti antecedenti ad destructionem illius durationis, quia in quolibet instanti signabili potuit Petrus, qui ab aeterno erat productus, destrui; ergo illa duratio fuit destructa in instanti antecedenti, quia in primo, in quo potuit, debuit destrui, & aliunde non fuit destructa, cum supponamus primum destructam fuisse in instanti sequenti. Haec autem sunt manifeste implicantia.

12 Quoad secundam vero partem, quod scilicet non duraverit per durationes successivas instantaneas, inde probatur Primò, quia sequeretur, infinitum successivè posse percurrì, quod repugnat conceptui infiniti. Secundò, quia quaelibet res semel producta ab aeterno, debet per aeternitatem durare, ergo etiam ipsa duratio ab aeterno producta debuit durare per aeternitatem, ergo non potest duratio successiva instantanea esse ab aeterno, ergo nec per illam potest Petrus ab aeterno durare. Hoc argumentum non caret difficultate. Nihilominus respondeo, negando Minorem quoad secundam partem de duratione successiva: nam quoad permanentem videtur sufficienter probata prima pars argumento facto.

Ad primam ergo probationem secundae partis respondeo, nullum esse inconueniens, si infinitum percurratur in tempore infinito, quale fuisset aeternitas: imò siue producta sit creatura ab aeterno, siue non, omnes admittunt elapsum fuisse tempus infinitum imaginarium à parte antè, ergo quantum ad hoc communis omnibus est difficultas. Vide, quae paulò antè dixi contra aliquos recentiores.

13 Ad secundam probationem respondeo, rem illam, de qua potest dici determinatè productam fuisse ab aeterno, necessariò duraturam per aeternitatem, ut ostendi suprà; nego verò, inde sequi, durationem aliquam durasse per aeternitatem, quia de nullà affirmari potest productam fuisse in aeternitate, ita ut ante ipsam non fuerit alia. Potuit ergo Petrus ab aeterno durare per successivas durationes distinctas, quo manet satisfactum argumento. Quadam replica, quae contra hoc fieri potest, ponetur infra à num. 17.

Septimò posset aliquis argumentari: Demus hominem ab aeterno productum, ille numquam primò postea potuisset mouere manum, quia quocumque instanti assignato, potuit citius; et ergo numquam primò potuit. Secundò idem vrgetur in stuprà igni ab aeterno applicatà; rogo enim, quando illa postea comburetur: assignato enim quocumque instanti, potuit citius & citius, & cum aliunde debuit comburi cum primum potuit, sequitur primò incepisse in instanti A v.g. & simul antea, quod repugnat. Sequela pater, quia in instanti A primò cepit, ut ponimus, & ante illud potuit, ergo & incepit, quia incepit cum primum potuit; ergo incepit antè & non incepit antè, quod omnino repugnat.

Hoc argumentum ferè coincidit cum sexto, 14 & ut dixi, habet magnam difficultatem: verum patitur manifestissimam instantiam in ipso Deo. Demus enim quòd Deus liberè ab aeterno se determinauerit producere aliquid cum primum possit, in quo non est repugnantia, quia si potest tunc, benè poterit creare; rogo ergo, quando de facto illud creauit, da quodcumque instans v.g. A iam sic argumentor: Signato illo instanti adhuc potuit in antecedenti, ergo in illo creauit. Patet, quia creauit quam citius potuit, & potuit ante A, ergo antè, ergo creauit antè & non creauit, ut supponimus, sicut suprà tu arguebas de igne stuprà applicato: nec maior est quoad hoc difficultas in igne, quam in Deo; ergo hoc argumentum non vrget nos. Specialiter ei absolute respondeo, non posse assignari vllum instans primum, ante quod non potuerit Deus primò creare: & hoc esse formalissimè conceptum aeternitatis, quod ab omnibus debet admitti, siue possibilibus ab aeterno creatura sit, siue non.

SUBSECTIO SECUNDA.

Quid sentiendum sit in hac questione.

PROBABILIS censco, potuisse ab aeterno produci creaturam aliquam, quae per durationes successivas durauerit. Probo id Primò, quia nulla videtur esse repugnantia in eo, quòd Deus eam creaturam ab aeterno produxerit: imò videtur necessariò dicendum, potuisse, sicut enim, dum de infinito disputauimus, ideò diximus posse illud à Deo produci, quia quolibet numero producto, adhuc potuit Deus in eo instanti alium maiorem producere, & illo producto alium maiorem, & sic in infinitum; ita similiter in praesenti cognoscit Deus, se ante mille annos potuisse producere Petrum, & ante alios mille, & sic in infinitum: cumque gradatio haec fiat in instanti, non est cur negetur à Deo cognosci totum tempus à parte antè, & se in quolibet illorum potuisse Petrum producere. Et ut difficultas clariùs percipiat, rogo, an Deus sistat per cognitionem in aliquo instanti ante quod non cognoscat se potuisse producere Petrum, vel non sistat? In primis non potest dici quòd sistat, quia verè ante illud instans potuit à Deo produci Petrus, ergo & id ab ipso cognoscitur, nihil enim possibile ignoratur à Deo; ergo dicendum est, in nullo sistere, ergo cognoscit omnia instantia aeternitatis, & in quolibet illorum se posse Petrum producere; potuit ergo illum ab aeterno producere. Secundò idem probatur benè ab Hurtado, quia causa & effectus possunt esse aequales in duratione, ut patet in Sole respectu lucis, in essentis respectu passionum; ergo potuit Angelus esse in duratione aequalis Deo. Tertio, sicut Deus ab aeterno liberè est determinatus ad producendum Petrum, ita vtaetus ipse liber fuerit ab aeterno, etiam si potuerit non esse, cur similiter non potuit liberè ab aeterno Petrus ipse produci, etiam si contingenter existeret? non enim maior est difficultas in ipso Petro, quam in volitione liberà de illo: quae volitio ut suum terminum producat, non indiget morà vllà temporis. Ergo dicendum est, potuisse esse ab aeterno creaturam permanentem. Haec est sententia communissima inter Doctores, quos vide apud Hurtadum Disput. 16. Physicà, Sectione 1.

- 17 Verum, licet opinionem hanc probabiliorē reputem, est tamen contra illam difficillimum vnum vel alterum argumentum, quod quia etiam fit contra aeternitatem à parte post (vt constabit statim) cenſeo illud eſſe fallax, licet à nobis, in quo hæc fallacia conſiſtat, minimè cognoscatur: ideoque arbitror non ſufficere ad negandum, potuiſſe eſſe creaturam ab æterno, alioquin eſſet contra Fidem. Argumentum ergo ſic ego efformo, & ſumo omnes durationes ſucceſſiuas, quas in aeternitate habuiſſet Petrus ſi ab æterno duraiſſet, & argumentor ſic: Datur aliqua duratio prima illarum, ergo non fuit ab æterno. Conſequentia eſt euident, quia aeternitas à parte ante non poteſt habere primum inſans ſuæ durationis. Antecedens, in quo eſt difficultas, probō; quia non omnis duratio illius collectionis habet aliquam priorem ſe, ergo eſt aliqua quæ non habeat aliam priorem ſe, ergo & quæ ſit prima; illa enim eſt prima quæ non habet aliam ante ſe. Probo Antecedens, quia eſt impoſſibile, vt omnes illæ habeant priorem ſe, quæ tamen ſit è numero omnium; ſicut eſt impoſſibile, vt omnes homines, quantumuis infiniti, producantur ab hominibus, ſi non poteſt dari mutua cauſalitas: & ideo eſt recurrendum ad aliquod principium improductum, nempe Deum; ergo ſimiliter non poterunt omnes durationes antecedi à durationibus in iſtis omnibus incluſis, cum repugnet mutua antecellio durationum; ergo debet eſſe aliqua quæ non antecedatur ab aliis, illa autem erit prima.

Vt argumenti vis clariùs percipiatur, ſumo omnes illas durationes vſque ad hodiernam incluſiue, quæ terminata eſt exiſtentia Petri, & ſic argumentor: Non poſſunt omnes hæ durationes habere aliquam priorem ſe ſeq. antecedentem, ergo aliqua eſt non habens antecedentem, ideoque prior. Probo Antecedens: plures ſunt durationes quæ ſubſequentur quàm quæ antecedunt; hæc enim vltima ſubſequitur aliam, reliquæ omnes & ſubſequentur & antecedunt, ergo plures ſunt quæ ſubſequentur quàm quæ antecedunt; ergo vel vna antecedit immediatè duas, quod eſt impoſſibile, quia poſt vnā durationem tantum immediatè ſuccedit altera; vel aliqua debet remanere ſine aliā antecedenti iplam, quod eſt meum intentum.

- 19 Patet conſequentia, quia quantumuis quæ poſſunt ſubſequi & antecedere, ſunt infinite, ſi tamen plures ſint quæ poſſint ſubſequi quàm quæ antecedere, & cuiſlibet ex his quæ ſubſequentur, reſpondeat vnica ex antecedentibus, neceſſarium eſt vt aliqua ex ſubſequentibus non habeat antecedentem quæ illi correfpondeat; ſicut ſi plures eſſent homines quàm equi, quantumuis omnes eſſent infiniti, ſi quilibet homo veller aſſumere proprium equum, neceſſariò aliqui homines ſine equo manerent. ergo ſimiliter, ſi plures ſunt durationes poſteriores quàm priores, & quilibet poſterior habeat aliam priorem, neceſſarium eſt vt aliqua poſterior maneat ſine priori, & conſequenter iam non ſit poſterior, ſed prior, quod contendo; vel ſimul ſit poſterior, & non ſit poſterior, quæ ſunt contradictoria.

- 20 Secundò idem clariùs & breuiùs probō: in eā

collectione non ſunt omnes durationes ab æterno, vt per ſe patet; neque duæ. Probo hoc clare; quia cum illa duæ, quæcumque ſint, vna eſt poſterior altera, illa quæ eſt poſterior, non poteſt eſſe ab æterno, ergo ſola vna debuit eſſe ab æterno: illa autem erit prima omnium, ergo iam datur vna prima in eā collectione; ergo illa collectio inceperit, ſcilicet quando illa prima incepit; ergo non eſt ab æterno, quia non poteſt dari initium aeternitatis.

Reſpondebis vtrique argumento Primò, durationem illam primam omnium eſſe indeterminatam, neque eſſe inconueniens, ſi datur duratio prima omnium, quæ indeterminata ſit. Sed contra Primò, quia prædicatum particulare exercitum actualiter, quod eſt actu antecedere, non poteſt à parte rei ſubiecto vago conuenire: quia, vt dixi ſapè, à parte rei nullum eſt ſubiectum vagum, ea enim diuagatio prouenit ab intellectu dicente hoc vel illud. Contra Secundò, quia Deus determinatè cognoscit omnes illas durationes, quia determinatè omnes illas produxit: cognoscit item, quæ poſt quam produci debeat; ergo cognoscit in particulari & determinatè illam quæ ante ſe non habet aliam: nec poteſt dici citra iniuriam ſcientiæ Dei, ab ipſo non determinatè, ſed confuſè cognosci eam durationem priorem. Contra Tertio, licet illa duratio indeterminata ſit, verè tamen illa eſt prima omnium ab æterno, ergo debuit durare per aeternitatem, contra id quod ſuprà probauimus. Patet conſequentia, quia res ſimul producta ab æterno neceſſariò durat per aeternitatem.

Reſpondebis Secundò, durationem non eſſe diſtinctam à re durante, ideoque non fuiſſe datam ab æterno eam durationem ſucceſſiuam. Sed contra Primò, quia iam oſtendi Lib. iv. durationem neceſſariò diſtinguendam à re durante. Contra Secundò, quia licet non diſtinguatur, in iſtis tamen iſtantibus imaginariis, quæ fluida ſunt & ſucceſſiua, vrgetur argumentum eodem modo.

Hoc argumentum eadem vi ſit contra aeternitatem à parte poſt; videtur enim neceſſariò ſignanda duratio vltima, & conſequenter tandem finienda ea aeternitas. Quod ſi in durationibus nolueris argumentum efformare, efformailud in actibus intellectus & voluntatis, faciendis per aeternitatem ab hominibus & Angelis ſucceſſiue, qui in omnium ſententiā infiniti futuri ſunt, tempus enim futurum eſt infinitum: in his autem actibus ob argumentum ſuprà factum videtur ſignandus vltimus, & conſequenter finiendus eſſe hominum & Angelorum duratio. Scio, hoc argumentum eſſe fallax, quia verum non poteſt opponi vero; ſolutionem tamen illius penitus ignoro: nec mirum, ſi aeternitas Dei & hominum nobis adeò difficilis appareat, cum nec exigua palea, quam ante oculos habemus, compoſitionem percipiamus. Et quia quod quæſtionem hanc profundius ſcrutari tentamus, eò magis mole difficultatis opprimimur, ſiſtimus, & eius perfectam notitiam in alteram vitam, ſicut pluriarum rerum, reſeruati nobis credamus.

Hæc in octo libros Phyſicorum dicenda occurrunt. Pergamus, diuinā fauente gratiā, ad Diſputationem de Cælo.